

et possessiones eiusdem monasterii, ipsumque abbatem et monachos eius, homines quoque monasterii et universam eius familiam, sub nostram Regalem protectionem ac defensionem suscepimus, secundum quod de hiis omnibus Inclite memorie pater noster Fredericus christianissimus Imperator sepedictum abbatem legitur investivisse. Preterea quascumque res vel possessiones predictum monasterium in presenti iuste possidet, vel in posterum Deo iuvante iusto modo poterit adipisci, nostra regali auctoritate roboramus, et eidem monasterio confirmamus. Statuentes quoque firmiter precipimus, ne de cetero aliqua Civitas, sive Padua sive alia, neque episcopus neque dux, non marchio, non comes vel vicecomes, nulla potestas, nulla etiam persona magna vel parva, predictum monasterium in aliquo disvestire vel res eius aut possessiones inquietare, vel molestare audeat, nullumque fodrum nec exactionem aliquam, nec bandum, nec albergariam ab ipso monasterio vel eius hominibus exigere vel accipere presumat, excepta nostra persona vel nostro certo misso. Si quis vero contra hoc nostrum preceptum ausu temerario venire vel aliquid facere presumpserit, anni optimi .L. libras pro pena componat, dimidium fisco nostro et dimidium prefato monasterio. Dat. Luce anno dominice incarn. M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. xc<sup>o</sup>j<sup>o</sup>. Indictione viij<sup>a</sup>. vij. Kal. Martii.

Es folgt ein Breve Gregors IX. vom 13. Februar 1231, durch welches er den Patriarchen von Grado und seine Suffragane mit dem Schutze der kürzlich zur Reform in Brondolo eingeführten Cistercienser beauftragt. Hiervon ist nur ein Transsumt vom 26. Juli 1301 vorhanden, in der Schrift der päpstlichen so ähnlich, dass man auf den ersten Blick ein Original zu sehen glaubt. Angefertigt ist es für den Bischof Heinrich von Chioggia. Auch hier fehlt das Siegel.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei Venerabilibus fratribus . . Patriarche Gradensi et Suffraganeis eius, et dilectis filiis Abbatibus Prioribus Decanis Archidiaconis, et aliis ecclesiarum prelatiis per Gradensem provinciam constitutis Salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbacione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicę sentencie severitas enervatur ut viri religiosi et hii maxime qui per sedis apostolice privilegia maiori donati sunt libertate passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis proteccione subveniat et pro fovenda pauperum innocencia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii . . Abbas et fratres Monasterii de Brunduo (sic) Cisterciensis ordinis Clugiensis dioc. tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iusticie conquē-